

seu ab apostolica traditione denominatio ista B. Virginis tributa fuerit, ejus rei testes locupletissimos habemus duos Nestorii factores. Joannes enim antiochenus in epistola ad Nestorium data, qua eum hortatur, ut, posita contentione, nomen illud impugnare desinat « Quod a permultis patribus compositum, scriptum et pronuntiatum est », subdit: « Hoc enim nomen nemo doctorum ecclesiasticorum repudiavit. Nam et plures eo usi sunt, iique celebres: et qui usi non sunt, utentes non reprehenderunt » (a). Theodoretus item (in Hæresi nestoriana) testatur: « Antiquissimos catholicae fidei præcones, ex apostolica traditione, docuisse, matrem Domini memorandam, colendamque esse ut Dei genitricem » (b). Sane alii nominatim B. Virginem θεοτόκον appellant ut Origenes, Dionysius alex., Alexander item alexandrinus, Athanasius, Basilius, Gregorius nazianzenus apud Petavium (c); alii æquivalentibus verbis id ipsum tradiderunt docentes Filium Dei semel ex Patre genitum rursus ex Maria Virgine altera generatione prodiisse; quos iterum longo agmine recenset laudatus Auctor, aliique post ipsum non solum inter catholicos, verum etiam inter protestantes (d). Sed quod communem et tralatitiam apud christianos vocem illam existisse maxime ostendit, est amara irrisio qua impius apostata Julianus christianos exagitat, quod Christi matrem passim Dei genitricem nominarent: « Atqui vos, inquit, Mariam non cessatis vocare θεοτόκον, id est Dei genitricem » (e). Constat igitur tum receptam, tum universalem hanc vocem fuisse, et cum vocabulo fidem per ipsum significatam de vera ac proprie dicta divina B. Virginis maternitate, antequam Nestorius novam doctrinam invehret.

His accedit ratio theologica et quidem multiplex, qua idem dogma adstruitur. Terminus generationis est persona, seu totum et integrum suppositum: hæc autem, ex demonstratis, in Christo quem genuit B. Virgo unica est eaque divina regens utramque naturam; ergo B. Virgo, quæ genuit personam divinam, seu Deum in assumpta carne, Dei genitrix vere et proprie est, ac talis est nuncupanda. Rursum: Dei et hominis Filius unus idemque est Christus; hunc autem, fatente Nestorio, Beata Virgo genuit; ergo hoc ipso quod Virgo Christum genuerit, vere Filium Dei genuit, adeoque Dei genitrix jure meritoque nuncupatur et est. Alioquin in duos filios secare Christum deberemus, quod absurdum est, et ex dictis constanti ecclesie catholicae fidei repugnat, et scripturarum effatis. Nec dissimilis est ratio hujus appellationis quæ petitur ex eo quod in utero Virginis Verbum carnem sibi assumpserit, feceritque sibi propriam ex quo Deus homo esse cœpit; quas qui-

(a) In Act. Concil. Hard. t. I. col. 1529.

(b) Lib. IV. de Hæ. c. XII. tom. IV. p. 245.

(c) Lib. V. c. XV.

(d) Inter ceteros eminet Svicerus in Thesaurio verbo θεοτόκος, Pearsonius in expositione symboli apostolici, et Jo. Ernestus Grabius tom. ult. LXX. interpretum.

(e) Cyril. opp. t. VI. p. 262.

dem rationes patres attulerunt et illustrarunt (a). Dogmate porro vindicato, ad præcavendas difficultates quibus illud tum nestoriani, tum increduli impetere solent, animadvertenda hæc sunt: alicujus pater aut mater naturalis esse quis potest duplici ex capite; vel generatione quæ definiuntur: origo vivens a vivente principio conjuncto in similitudinem naturæ: vel unione hypostatica duplicis substantiæ, uti esset anima et corpus, cum sermo est de homine, aut etiam naturæ divinæ et humanæ, cum sermo est de Christo. Jam vero ratione generationis prima divinarum personarum est Pater Verbi quod communicatione propriæ substantiæ ab æterno gignit, et B. Virgo est mater Christi, cui propriam substantiam communicavit prout homo est; ratione vero suppositi seu unionis hypostaticæ eadem prima Trinitatis persona est Pater Christi, etiam prout homo est, et B. Virgo est mater Christi prout ipse Deus est. Quare Christus, qui est Verbum caro factum, consubstantialis est Patri secundum divinitatem, consubstantialis est matri secundum humanitatem ratione duplicis generationis et originis, æternæ scilicet ac temporalis; cum vero utraque natura propria sit ejusdem personæ divinæ seu suppositi, ratione ejusdem personæ est filius utriusque (b).

(a) Cf. Pet. I. V. c. XVII.

(b) Cf. Petav. lib. VII. c. V. §. 5. ubi proposito sibi dubio: « Non videtur Filius esse naturalis Dei Patris homo Christus, quoniam non de illius substantia, quatenus est homo, genitus est » respondet, quidpiam nobis per Incarnationis mysterium innotescere, quod humana nunquam consequi sapientia, ac ne suspicari quidem potuisset. Atque illud primo constituit in filii notionem duo quadam contineri, sine quibus intelligi non potest: alterum, ut sit aliqua communicatio substantiæ, naturæve, vera generatione facta; alterum est, proprietates ipsa, sive forma relativa termini producti, quæ originis principium respicit. Quo posito, pergit eximius theologus, duplicem ex Incarnationis mysterio didicimus esse viam, ac rationem, qua utrumque, hoc est et communicatio naturæ, et forma, sive proprietates relativa, quam filietatem vocant, obtinetur. Primus modus est cum terminus ipse, qui Filius dicitur, vera et proprie dicta generatione communicatam sibi naturam illam accipit, a qua denominatur: ita ut physice, ut in scholis loquuntur, et formaliter gigni, vel ut sit habere dicatur. Sic in Trinitate Verbum vera generatione communicatam accipit essentiam a Patre, qua est hic Deus; ac formaliter generatur; ideoque proprie dictus est Filius, quod in omnibus etiam creatis filiis universe reperitur. Posterior modus, cujus nobis Incarnationis fides notitiam attulit, per substantiam unionem et applicationem fit ad prioris generis terminum: cum peregrina alioqui natura, nec vera generatione transfusa, eo ipso filii proprietatem excipit, quod cum vero et naturali filio, hoc est cum divina natura divinæ itidem filietatis modificata proprietate, naturaliter, et substantive conjungitur in unam personam, et unum adeo eundemque filium. Sic humana natura, non illa quidem generatione procedit, vel communicatur a Patre: neque Christus qua homo est, gignitur a Deo: neque Dei similitudinem naturalem, aut imaginem habet: quod filii conditio postulat. Verum naturali copulatione cum Verbo conjuncta, eadem unionem communicatam sibi divinitatem obtinet, ac divinitatis modum, sive proprietatem qua Verbum constat: quæ filietas dicitur. Ideo præ-

Exinde colligimus 1. latius patere terminum filiationis quam generationis, quia, filiatio, ut cum schola loquamur, se porrigit etiam ad eum, cui quis non dedit originem ex eadem substantia, generatio vero non item. Colligimus 2. quo sensu B. Virgo sit et dicatur Deipara, nempe ratione hypostaticæ unionis Verbi cum humanitate, cui humanitati ipsa originem dedit, quemadmodum et Deus Pater, Christi pater est prout nempe humanitas ejus a Verbo in unitate personæ assumpta est. Quæ si probe teneantur nullo negotio retundentur quæ adversus propositam thesim tela emittunt Deiparæ osores.

DIFFICULTATES.

[Obj. 1. B. Virgo divinitatem non genuit, aut divinitati originem dedit, quod tamen ad matrem constitutum requiritur. Ergo Dei genitrix seu mater B. Virgo nec est, nec dici potest. 2. Ejusmodi præterea denominatio eunomianorum et apollinaristarum errata fævet, qui naturas in Christo miscebant, et libenter divitiæ Christi naturæ adscribebant quæ abjecta quodammodo et villa de eodem Christo in scripturis recensentur. 3. Ceterum eum homo per se proprie dicitur genitus sit, non autem Deus quæ Deus est, non proprie Dei genitrix est Maria vocanda, quæ etenim solum Deum genuit, quatenus homo ille qui ex ea natus est, cum Deo conjunctus erat, ac Deus per uterum Virginis solum transiisse (παρθενογενέσις) dicitur (a); 4. eo vel maxime quod implicet duas substantias ex una substantia generari. 5. Hinc qui Mariam vere ac proprie Dei genitricem vocandam esse contendunt, divinitatem ei adscribant ac Deam faciunt necesse est, cum mater debeat esse consubstantialis ei quem gignit, quo nihil absurdius excogitari potest, atque ethnicis passim a Christianis exprobratum invenimus, quod Cybelem aliasque matres deorum facerent. 6. Quare ne scriptura nos in ejusmodi superstitionem conjiceret nusquam hanc vocem usurpat; 7. nec satis unquam commendari uiciorum patrum prudentia potest, qui Dominum Jesum Christum quidem ex Maria genitum dixerunt non autem Deum, nec Virginem theotocon compellere sustinuerunt. Ergo.

R. Ad 1. D. Et hæc de causa B. Virginem Dei genitricem esse, aut appellandam catholici contendunt, N. et eo nomine honorandam esse B. Virginem docent, quod eum genuerit qui per hypostaticam unionem subsistit in Verbo C. Hinc negamus quod nestoriani assumunt, ad matrem nempe constituendam requiri ut originem det substantiæ, quæ ex ea nascitur. Matres enim nostræ tales reipsa vocantur et sunt, etsi animæ originem minime tribuant, attamen tales censentur, quia terminus generationis est natura subsistens, seu totum suppositum aut persona; cum vero talis persona humana sit, id est, homo,

prout dicitur et naturalis est Dei Filius, non generatione, sed unionem, quatenus ut est homo spectatur. (a) Ita Nestorius apud Cyrillum I. I. cont. ipsum p. 10.

PAR. ONE I.

hinc ejus mater vocatur mater hominis; si autem hæc persona divina, scilicet Deus sit, ejusmodi in Christo esse ostendimus, ejus mater vocanda est mater Dei (a). Verum recolantur quæ in hanc rem adnotavimus.

Ad 2. N. Hæc enim putida calumnia est a qua catholicae fidei professio est prorsus aliena, quæ semper agnovit utriusque naturæ cum suis proprietatibus et operationibus distinctionem in Christo, et nos paulo post ostendemus. Falsum præterea est sive arianos, sive apollinaristas et hæreticos ceteros vocem theotocon vero ac legitimo sensu arripuisse (b).

Ad 3. D. Homo subsistens nempe in persona Verbi, C. homo vel in abstracto, aut subsistens personalitate propria N. Hæc enim hujus erroris princeps causa extitit, quod Nestorius homini Christo jam constituto atque perfecto substantia propria Deum accessisse, eique se copulasse conjunctione moralij adunaverit, quare Deum transiisse per Mariæ uterum, non gulcum genitum, modo seu ratione exposita, ab ea esse dicitur; cum tamen non ceperit existere Christi humanitas nisi in Verbo, quod eam formando, ac si de anima sermo sit, creando assumpsit, suamque effecit.

Ad 4. D. Separatas seu disjunctas. C. hypostaticæ nexu sociatas ratione subsistentiæ divinæ N. Responsio patet ex dictis (c).

Ad 5. N. Ex præmissa enim animadversione, ut quæpiam mater sit satis est ut originem dederit naturæ, quæ subsistat in tali supposito seu persona, quæ ex ea nascitur. Hinc B. Virgo consubstantialis est Christo in natura humana, quæ subsistit in persona divina. Atque inde cetera corrunt, quæ superextruuntur de matribus deorum, quæ in systemate

(a) Cf. Petav. I. c. c. XIX. §. 1. seqq.

(b) Apollinaristæ et Eutychniani autemantes naturam Christi humanam, seu potius ejus carnem e cælo delapsam, non autem ex B. V. substantia assumptam, non alio sensu eidem B. Virgini titulum θεοτόκου tribuebant, quam quod ipsa pepererit Christum. Hinc non sensu catholico, a quo illi abhorrebant, nempe gignendi, sed tantum pariendi eidem Virgini nomen theotocon accommodabant. Ceterum græca vox θεοτόκος non tantum parere, sed etiam gignere significat, ut notum est. Cf. Svicerum in Thesaurio ad voc. θεοτόκος.

(c) Præclare Ferrandus diaconus, cum sibi illud opposuisset ex hæreticis: « Ex una substantia generari nullatenus potuisse substantias duas, ita respondit: « Veraciter dicit, si separatim generatas audierit. Nunc vero in magno illo et mirabili sacramento, quod manifestatum est in carne, divina substantia secundum humanam substantiam proprie nata est; quia non separatim nata est, nec humanitatem proprie natam sibi divinitas adunavit: sed adunando eam sibi proprie nata est... Proprie est nata de Patre divinitas pura, proprie est nata de matre eadem incarnata divinitas. Et hoc distat inter unius Filii Dei duas generationes, quod in divina generatione nulla fuit humanitas, in humana generatione adunata fuit humanitati proprie nascenti divinitas. Si enim dixerō, vel dicere voluerō: Maria semper Virgo proprie genuit humanitatem, non proprie genuit divinitatem: videbitur sub aliquo modo hominem purum genuisse, quem nullo modo ita genuit, quia Verbum carnem fecit proprie genuit. Epist. ad Anat. §. 17. Biblioth. PP. ed. Venet. tom. XI. p. 355.

(Trento-quatro)

ethnicorum censabantur vere dedisse originem ipsi naturæ divinæ, a quo erroris portento longe absunt catholici.

Ad 6. D. Quoad sonum materialem, C. quoad rem ipsam per vocem expressam, sive æquivalenter N. ut ex dictis constat (a).

Ad 7. D. Nulla urgente causa, seu nemine suspicionem in eam vocem ingerente, C. rem ipsam non tradiderunt N. Hoc ipso enim quod nicaeni patres unum Christum, seu unam Christi personam professi sunt, eumque dixerunt Deum de Deo, Deum verum de Deo vero, conceptum de Spiritu Sancto et natum ex Maria Virgine, hanc verè Dei genitricem esse declararunt. Quod si vocem ipsam non protulerunt, Ecclesiæ morem secuti sunt, quæ nunquam consuevit ea definire, quæ in controversiam non vocantur.

II. Obj. 1. Etsi anima intimo quoque nexu corpori uniat, inapte tamen mulier vocaretur animæ mater, sed hominis mater dici debet; ergo etsi natura divina hypostatico nexu cum humana jungatur, attamen Virgo non Dei sed Christi mater est appellanda. 2. Rursus si illa Dei mater vocanda est, quia ex illa natus est Dei filius, cur Deipater non vocetur Spiritus Sanctus de quo eundem conceptum fuisse in symbolo profiteremur? 3. Verum his omissis, nec vere nec proprie, si strictius loqui velimus, Dei matris nomen B. Virgini competit, neque expedit tali titulo eam salutare. Nec vere nec proprie quia, ut ratiocinatur Bayle, nunquam femina vocaretur mater Angeli quæ corpus humanum gigneret, cui ipso conceptionis instanti Angeli persona conjuncta esset unione hypostatica. Deiparæ igitur appellatio ex hypostatica unione necessario minime sequitur (b). Quin potius, Deiparæ appellatione semel admissa, Dei quoque avum et aviam, aliosque vario conjunctionis vinculo cum Deo conjunctos agnoscamus necesse est, quod quidem quam absurdum sit nemo non videt; sane Romæ proscriptus est liber Joannis Thomæ a s. Cyrillo de laudibus B. Annæ, in quo Auctor ducerat Annam Verbi incarnati esse aviam. Sed neque expedit B. Virginem Deiparam compellere, cum hoc nomen erroris causam afferre possit, maxime vero imperitis, qui existimare facile possunt Dei matrem divinitatem ipsam genuisse. Ergo.

R. Ad 1. D. Si generatio ad hanc vel illam seorsim genitricem referretur, C. si ad suppositum ipsum, ut sæpius diximus, N. Jam vero una est in Christo persona, quam genuit Maria cum humana natura conjunctam, jure igitur Dei matris nomen et rem

(a) Sane s. Elisabeth Luc. I. 43. vix non conceptis verbis B. Virginem Dei matrem nuncupavit dicens: « Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? » Quo autem sensu hic Domini nomen accepit patet ex v. 45. « Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a Domino; » ubi Domini nomen pro Dei nomine eam usurpasse nullum dubium esse potest. Quare eodem sensu B. Virgo erupit in illa verba: « Magnificat anima mea Dominum. »

(b) Dict. hist. art. Nestorius, Rem. A.

sibi vindicat, ut ceteræ matres hominis matres dicantur etsi animam non procreent.

Ad 2. Resp. Spiritui Sancto denominationem Dei patris minime competere, quia nihil de suo contulit ad Christi conceptionem, si excipias tantum fecunditatem, quam virtute et efficacia sua Maria tribuit (a).

Ad 3. N. quoad utrumque membrum. Ac primo quidem, si severius loqui velimus, B. Virgini potius competit titulus Deiparæ quam ceteris mulieribus titulus matris ejusdem hominis, quia in ceterorum hominum conceptu, ex communi sententiâ prius est corpus quam anima, quæ corpori non accedit nisi organis vitæ jam instructo; contra vero nec ullo temporis puncto Christi corpus sine anima in Virgine utero exstitit ac propterea quin subsisteret integra ejus humanitas hypostatico nexu conjuncta cum Divini Verbi persona; secundo maxime expedit B. Virginem Deiparæ titulo honestare, quia in hac una vocula plena catholice fidei professio continetur adversus impietatem nestorianorum, pholinianorum, arianorum, sabellianorum, ac novissime socinianorum, rationalistarum, eorumque omnium, qui eandem labefactare quoquomodo ausi sunt, quibus propterea odiosus nimis et ingratus ejusmodi titulus effectus est.

Neque obstat 1. quod de Angeli matre a Bayle opponitur, nihil enim vetat quominus in tali hypothese vere Angeli mater illa diceretur, cum eadem rationum momenta vigeant.

Non obstat 2. quod additur de Dei avo et avia dummodo addatur secundum carnem; cujus assertionis argumento sunt Christi Domini fratres et sorores, qui in scripturis commemorantur, in quibus pariter Christus dicitur filius Abraham ac filius David; quin et David ipse Deipater a veteribus interdum appellatus est (b). Quod igitur erit absurdi si dicamus Deum in assumpta carne habuisse avum et aviam et proavos et cognatos?

Quod si Romæ proscriptus fuit liber Thomæ a s. Cyrillo, non præcise ejusmodi liber proscriptus est, quod Annam Dei aviam dixerit, sed propter ceteraria, quæ inde deducebat, Annam videlicet esse socrum Spiritus Sancti, Angelorum dominam, cognitionem habere divinam, atque in ipsa hypostatica unione partem aliquam habuisse. Quæ partim insolentia sunt et nimis dura, partim a veritate remota (c).

Non obstat denique quod opponunt de errori-

(a) Cf. de hoc argumento Petav. I. VII. c. V. § 1-5. De obscuro s. Hilarii loco ex lib. X. de Trin. §. 16. ubi negare videtur B. Virginem corpori Christi originem dedisse, quo tantopere abusus est Erasmus, cf. P. Constantium in nota in h. l. tua in Prefat. gener. quam præmisit novæ a se adornatæ editioni n. II. seqq.

(b) Cf. Svicecum in Thesoro ad vocem *Deiparæ*, et ad voc. *David* n. II. ubi plures recenset patres graecos, qui hoc nomine Davidem compellarunt.

(c) Sane ut patet ex Indice librorum prohib. non absolute hujusmodi liber damnatus est, sed cum clausula donec corrigatur.

ARTICULUS II. — De Adoptionismo.

causa, quam afferre posset ejusmodi nomen, dummodo fideles catechismum edoceantur ipsisque ejus vocis vis et sensus exponatur. Si tamen adeo bardus existat, qui in animum inducat suum, B. Virginem originem divinitati dedisse; prout nemo est qui censet animum a matribus procreari etsi illæ homines gignere dicantur.

Dices: saltem negari nequit hunc titulum tributum B. Virgini principium dedisse superstitioni, quæ in Ecclesia catholica ex eo tempore inolevit, et eo progressa est, ut in turpem sit idololatriam delapsa. 2. Hinc melius meritis de ecclesia Nestorius fuisset si prevalere potuisset, quam Cyrillus, qui contra jus et regulas omnes vi et machinis adversarium suum oppressit (a). Ergo.

R. Ad 1. N. 1. Quia cultus erga B. Virginem anterior est hæresi nestoriana, ac propterea concilio ephesino, ut suo loco ostendimus; 2. quia ex allatis documentis constat titulum *Theotocou* delatum fuisse B. Virgini a primis Ecclesiæ patribus, quin superstitioni locum dedit. 3. Ex confessione ipsiusmet Bayle, qui aperte fateatur easdem consecutiones ex titulo *Matris Christi* proficisci, ac ex titulo *Matris Dei* (b). Quod vero additur de supposita idololatria in Ecclesia Romana pariter idoneo loco diluimus (c).

Ad 2. N. Nestorii enim triumphus fuisset christianæ religionis subversio, cum everteret hæresi suæ totum incarnationis mysterium. S. Cyrillus ut ex certissimis ac luculentis documentis constat, omnes tentavit vias ad abducendum Nestorium ab errore suo. Sed nec ipse, nec s. Coelestinus, nec ipsius Nestorii amici unquam ejus pervicaciam vincere potuerunt. Quare non nisi perditæ conscientie ac nullius fidei homines ejus patrocinium susceperunt (d).

(a) Ita Bayle art. *Nestorius*, *Junon* etc. et cum ipso protestantes passim.

(b) En verba ipsius art. cit. *Nest. Rem. A.* « Il me semble au reste, que les abus par rapport au culte de la Sainte Vierge étoient à craindre également, soit qu'on l'appelât mère de Jésus-Christ, soit qu'on l'appelât la mère de Dieu. Car jamais sans doute les dévots les plus outrés n'ont cru que le Verbe, en tant que tel, ait reçu de la Sainte Vierge sa vie, et sa substance, comme les enfants la reçoivent de leurs mères. Et il est sûr qu'en pressant les conséquences du titre de mère de Jésus-Christ, comme on a pressé les conséquences du titre de mère de Dieu, on aurait pu parvenir au culte de la Sainte Vierge aussi promptement, que l'on a fait... Ceci réfute ceux qui trouvent dans la conduite de Nestorius quelque chose, qui étoit capable de prévenir l'idolâtrie. » Quomodo autem hic auctor sibi cohereret, ipse videt.

(c) In tract. De cultu Sanctorum.

(d) Satis est oculos conjicere in Acta Conciliorum Part. I. act. concilii ephesini, ut patet ex documentis, quæ ibidem afferuntur ante concilii celebrationem, quot vias pertentaverit s. Cyrillus privatis admonitionibus, deinde publicis, ut Nestorium ab impia doctrina quam præconceperat revocaret. Ibi pariter occurrunt epist. s. Coelestini Papæ, Joannis antiocheni, aliorumque ad eundem Nestorium date. Verum adversus animum impugnatorem Cyrilli cf. Petavium lib. VI. de hæc. cap. III. seqq. Cf. etiam *Histoire du Nestorianisme* par le P. Louis Doucin S. J. qui egregie defendit s. Cyrillum et concilium ephesinum, ac refert præterea Dupinnum, qui reliquior

Nestorianismi propago est *adoptianismus* quærens, sec. VIII. labente, Felix episcopus urgellitanus et Elipandus archiepiscopus toletanus in Hispaniam primum intulerunt, ac dispersitis inter se provinciis longe lateque propagare irritò satagerunt. Docti et eruditi viri in Galliis, Italia ac Germania obstiterunt istorum conatibus, ac plura celebrata concilia per eam ætatem fuerunt in diversis locis, a quibus unanimiter ejusmodi error proscriptus est (a).

In eo autem adoptianismi perversitas sita erat, ut pro numero naturarum in Christo totidem filios respectu Dei Patris distinguere, alterum scilicet *naturalem* secundum naturam divinam, alterum *adoptivum* secundum naturam humanam. Cum vero terminus *filiationis*, ut vocant, sit persona, duas propterea personas in Christo cum Nestorio ab adoptianis seu felicianis, ita dictis a præcipuo hæresis auctore, admitti debuisset consequens erat (b). Quare Christum prout homo est, *gratia et adoptione* filium Dei esse autumabant, et *servum* dicebant.

Ut omnis ambiguitas tollatur juberet in primis discernere, quæ in hæc controversia fidei dogma attingunt, ab iis quæ, salva fide, a nonnullis disceptata sunt. Est fidei dogma, Christum agnoscendum esse ut unicum Filium naturalem Dei existentem in duabus naturis divina nempe et humana, quæ simul hypostatice junctæ, non sunt nisi unus Christus. Idcirco Christus prout *hic homo* est in concreto, est Filius naturalis Dei, quia ob unionem hypostaticam ejus humanitas subsistit in persona Verbi divini. Quatenus vero natura humana in abstracto seu per mentis operationem concipitur distincte a Divini Verbi persona in qua subsistit utrum possit dici *adoptata* nec ne, hæc quæstio fidem ipsam non afficit: Sane partem affirmantem Scotus, Durandus nonnullique alii scholastici tenuerunt. Ipsi viderint; nobis plane otiosa et alæ plena videtur ejusmodi sententia, ut cuilibet rem bene perpenderit patebit (c). Ve-

luit in s. Cyrillum in nova sua Bibliotheca I. superius cit. de pristina sententiâ discessisse. Pro eodem Sancto scripserunt Thomassinus, Leo Allatus in iudiciis synodi ephesinæ, et Cotelerius tom. I. Monum. eccles. græcæ.

(a) Cf. eruditissimi Jo. Francisci Madrisii *De Felicianis et Elipandi hæresi historico-chronologicam dissertationem* in calce op. s. Paulini a quilef. Ven. 1757.

(b) Notandum tamen est adoptianos non docuisse duas in Christo admittendas esse personas, nimis enim aperte fidem in œcumenicis Conciliis anterioribus sapius definitam impugnassent, atque hoc ipso se hæreticos esse nestorianos professi essent, quod ipsi maxime cavebant; attamen hic error ex eorum principiis profluebat; hinc videmus ab illius aevi scriptoribus hunc errorem adoptianis perpetuo objici, atque adscribi. Cf. Jo. Wesselium in *nestorianismo et adoptianismo reditico* c. III. tom. Madrisium diss. cit. p. 207. seqq.

(c) Etiam ut superius animadvertimus, humana Christi natura in abstracto et per mentis operationem distincta seu separata a divinitate spectari nequit; nam non esset amplius subsistens, siquidem tota subsistentia hujus humanitatis est persona divini

rum ex his colligimus minus accurate a nonnullis auctoribus propositionem catholicam his verbis enunciari: « Christus qua homo, non fuit Filius Dei adoptivus sed naturalis; » cum dici debuisset: « Christus qua hic homo, non est Filius Dei adoptivus sed naturalis; » alioquin permisceretur dogma fidei cum questione mere scholastica.

Arrepta occasione duplicis recensita controversiæ dogmaticæ scilicet atque scholasticæ, nonnulli tum inter catholicos, tum potissimum inter protestantes contenderunt Felicem et Elipandum cum suis asseclis non de natura Christi humana in concreto, sed solum in abstracto spectata, docuisse Christum qua homo est, esse Filium Dei adoptivum ac servum (a). In hac hypothese tota illa discrepantia, qua conturbata Ecclesia est, non fuisset nisi pura logomachia seu verborum pugna. Veneratio autem quam erga Ecclesiam profitemur, et novatorum vafrities eorumque aperta confessio vetant quominus in ejusmodi sententiam concedamus. Adde nobiscum sentire testes coævus, qui ab ipsorum adoptianorum ore verum illorum sensum acceperunt; recolantur quæ diximus de Nestorio, quæ huc pariter collimant. Rejecta igitur istorum temeritate, atque in pleno lumine controversiæ nostræ statu collocato: sit

PROPOSITIO.— *Jesus Christus est Filius Dei naturalis non autem adoptivus.*

Propositio hæc est de fide, prout definitum est in concilio francofordiensi in epistola synodica approbata a Romanis Pontificibus, præsertim vero ab Hadriano I. atque ab universa Ecclesia, ubi Christus in utraque subsistens natura declaratur « Filius Dei proprius et naturalis nequaquam adoptivus (b). »

Jam vero in sacris literis verus, proprius atque unigenitus Dei Filius vocatur ille, in quo Pater sibi complacuit (Luc. III. 22.); quem dedit pro mundi salute, atque pro nobis omnibus tradidit (Jo. III. 16).

Verbi, hac porro subsistentia sublata, neque existeret in rerum natura ejusmodi humanitas. Nihil enim existit in concreto nisi per subsistentiam. Præterea humanitas Christi separata a divinitate non esset amplius humanitas Christi, sed alterius cujuscunque, qui non esset Christus; Christi enim notio necessario involvit notionem Verbi incarnati. Ex utroque propterea capite liquet non solum otiosam, sed periculi plenam recensitam questionem esse.

(a) Ita Vasquez in III. P. s. Th. disp. LXXXIX. cap. I. seqq. et post ipsum Juvén. diss. VI. de Incarn. q. VI. aliique pauci. Cum his vero catholicis auctoribus confundi non debet Walchius, qui in sua *Adoptianorum historia* Götting. 1755. contendit hæretico s. Paulinum Aquileiensem, Alenium, PP. Francofordienses, Hadrianum papam nestorianos errores Felici et Elipando alluxisse cum eorum mente in assecuti non fuerint. Idem dicitur de B. sagio, qui tom. II. *Theauri monum. ecclis.* n. V. aperte pronunciat: « Nos ingenue fatemur meram fuisse logomachiam, quæ sæpius occurrit apud TT. » Quem pasim protestantes secuti sunt, ut dorschenus, Georg. Callixtus, Spaehemius, Mosheimus, Jablonski etc. ut traducerent Concilia et Rom. Pontifices tanquam imperitos, atque fanaticos. Cf. Madrisium de *Felicis et Elipandi hæresi dogmatica dissertat.* III. l. c.

(b) Cf. Acta Conc. Harduini tom. IV. col. 886.

Rom. VIII. 32.); atqui Pater complacuit sibi in Christo homine recens baptizato, eundem vero dedit et tradidit ut ad redimendos homines crucifigeretur, non fuit autem crucifixus nisi ut homo; ergo Christus etiam ut hic homo est, verus, proprius, unigenitus Filius Dei est, adeoque non adoptione seu gratia, sed natura est Dei Filius. Rursus: quem Petrus Filium Dei confessus est (Matth. XVI. 16.), quem tanquam Dei Filium cæcus natus adoravit (Jo. IX. 38.); quem tanquam affectate divinitatis reum Caiaphas traduxit, est Christus homo; ergo Christus homo est et naturalis Filius Dei.

Patres unanimes sunt in hac veritate adstruenda, ut patet 1. ex illis omnibus testimoniis, quibus Christi divinitatem adstruunt, quæque suo loco retulimus (a); 2. ex illis omnibus quibus tum antequam post exortam Nestorii hæresim unam eandemque Christi personam prædicant, unum eundemque Dei et hominis Filium Jesum Christum esse docent, quæ pariter jam retulimus, quibus addere placet verba concilii œcumenici chæcedonensis, in cuius fidei professione Patres aiunt: « Sequentes igitur sanctos Patres unum et eundem confiteri Filium et Dominum Nostrum Jesum Christum communi omnes consensu docemus (b). » 3. Hæc accedunt fidei symbola in quibus Christus perhibetur ut Filius Dei, qui natus est ex Maria Virgine. Jure propterea synodus francofordiensi auctorem hæresis adoptianæ ita compellat: « Tu vero quisquis es, qui Christum prædicas adoptivum, unde tibi iste sensus venisset, voluisses scire: ubi hoc nomen didicisses, ostende. Patriarchæ nescierunt, Prophætæ non dixerunt, Apostoli non prædicaverunt, sancti trinitatores hoc nomen tacuerunt, doctores fidei nostræ non docuerunt (c). »

Ratio demum theologica ineluctabilis adversus adoptianæ ex ipsa adoptionis natura desumitur: adoptio enim est assumptio personæ extraneæ in propriam hæreditatem (d): atqui Christus qua hic homo est, dici nequit personæ Deo extraneæ, nisi duas in ipso personas Dei et hominis esse velimus. Cum igitur Christi Dei et hominis una sit persona, Filius Dei proprius et naturalis, necessario consequitur Christum et qua Deum, et qua hominem, sensu exposito, naturalem esse Dei Filium, neque enim filii ratio ad naturam, sed ad personam refertur (e).

Et hæc ad præoccupandas difficultates quæ moveri possunt adversus thesiam a nobis propugnatam revocari in mentem debent, quæ adnotavimus in causa nestorianismi, præcipue vero discrimen quod intercedit inter *filiationem* et *generationem*; quod ista

(a) Tract. de Trin., cap. III. prop. II.

(b) Cf. Acta conc. chæced. act. V. in coll. Hard. t. II. col. 455.

(c) In cit. epist. synod. l. c. col. 982.

(d) Cf. Petav. lib. VII. c. I. §§ 3 et 4, in quibus dilucide adoptionis naturam et conditiones evoluit.

(e) Cetera argumenta in unum collecta, quibus usi sunt adoptianismi impugnatores; vide apud Petav. l. c. cap. III.

scilicet communicationem ejusdem substantiæ exposcat illa vero non item, sed solam hypostaticam unionem.

DIFFICULTATES.

I. Obj. Apostolus de Christo homine loquens ejusdem ac nos conditionis eum esse affirmat; 1. etenim Rom. VIII. 17. de hominibus justis, qui sunt filii Dei, ait: « Si item filii et hæredes, hæredes qui Dei *coheredes* autem Christi; » 2. et v. 19. Christus vocatur ab eodem Apostolo « primogenitus in multis fratribus ». Si igitur hominis Christi *coheredes* sunt justis, si ipse qua homo primogenitus in multis fratribus est, gratia et adoptione Christus homo filius Dei perinde ac justis dicendus est, non natura; 3. quod clarius adhuc apparet ex his, quæ cap. I. 4. ejusdem epistolæ scribit de Christo B. Apostolus: « Qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis; » quæ profecto prædestinatio non est nisi adoptio in filium: non autem adoptatus est Christus in filium secundum naturam divinam, ergo secundum naturam humanam qua sola Christus vere est Filius Dei adoptivus 4. Hæc vero omnia patrum auctoritate confirmantur, qui passim Christo secundum naturam humanam tribuunt adoptionem in Filium Dei, præsertim vero s. Hilarius, qui lib. II. de Trin. aperte scribit: « Ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur ». Ergo.

R. N. A. Ad 1. prob. de D. *Coheredes* Christi, id est participes effecti illius hæreditatis, quæ Christo competit ut naturali Filio Dei, C. id est participes communis illius hæreditatis, quæ Christo proveniat titulo adoptionis N. Non solum hoc nusquam tradidit Apostolus, sed oppositum plane docuit Hebr. III. 5. 6.

Ad 2. D. *Primogenitus* quatenus Christus frater noster fieri dignatus est per *gratiam unionis*, ut loquitur s. Thomas, sibi copulans nostram naturam, C. per *gratiam adoptionis* cuius est incapax N. Alioquin idem Apostolus ib. v. 32. minime vocasset Christum « Filium Dei *proprium* et *suum* » nec s. Joannes I. 14. Christum pariter *unigenitum a Patre* appellasset.

Ad 3. D. *Prædestinatus* est ad *gratiam unionis*, C. adoptionis N. Ita hunc locum post. s. Augustinum exponit s. Thomas 5. p. q. 24. a. 1. qui adnotat æternam prædestinationem J. Christi in Filium Dei respicere seu habere pro objecto gratiam unionis duarum naturarum, quæ fieri debebat in tempore, et per quam Deus factus est homo, et homo Deus; unio quippe duarum naturarum in persona Christi cadit sub æterna prædestinatione et ratione hujus Christus dicitur prædestinatus Filius Dei (a).

(a) Præstat apponere ipsius s. Doctoris verba: « Prædestinatio proprie accepta, inquit, est quedam divina præordinatio ab æterno de his, quæ per gratiam unionis a Deo, ut homo esset Deus, et Deus esset homo. Nec potest dici, quod Deus ab æterno non præordinaverit hoc se facturum in tempore: quia sequeretur quod divinx mentis aliquid de novo

Ad 4. N. Multiplici porro ratione et catholico sensu patres interdum adoptionem Christo tribuunt secundum humanam naturam; ac 1. improprie dictam, quatenus significant humanam Christi naturam susceptam atque assumptam fuisse a Verbo sine personæ unitatem. Latinis quippe scriptoribus idem sæpe est adoptare ac *eligere*, *adsciscere*, *suscipere* atque *assumere*, quidquid tamen illud sit quod adsciscitur sive filius, sive quidvis aliud. Unde Cicero in Verrem « quem sibi illa defensorem sui juris... adoptavit » hoc est assumpsit, destinavit, elegit; sic ceteris omissis, Ovidius: « Fac ramum ramus adoptet » id est cum ramo jungatur; 2. Si vero de adoptivæ proprie dicta loquentes humanam Christi naturam eam vocem patres accommodarunt, ut s. Augustinus et Facundus Hermianensis, qui *gratia* hominem in Christo Filium Dei factum asseruerunt (3), de causa seu ratione remota naturalis filiationis Christi hæc dixisse intelligendi sunt; quia gratia procreta est ad hoc humana natura, ut in personam eam Verbo consortium adhiberetur (b). Alterutra igitur admissa expositione hujus vocis, apte omnia patrum dicta, quæ difficultatem primo intuitu facessere videntur explicantur; quin necesse sit singillatim ea ad trutinam revocare, cum de germana eorum sententia aliunde constat. Juxta priorem autem expositionem quam dedimus accipiendum esse. s. Hilarii estatum ipsa ejus oratio postulat; quare opus non est ut eum Germonio illud corruptum asseramus, ac legamus *adoratur pro adoptatur* (c).

II. Obj. 1. Filius Dei naturalis a Patre procedit per æternam generationem atque est ejusdem cum Patre substantiæ. Atqui Christus ut homo non procedit per æternam generationem nec est ejusdem cum patre substantiæ: 2. hinc recepta est in catechismo ea dicendi ratio: Christum ut Deum habere patrem sine matre, ut hominem habere matrem sine

accideret. Et ideo oportet dicere, quod ipsa unio naturarum in persona Christi cadat sub æterna Dei prædestinatione: et ratione hujus, Christus dicitur esse prædestinatus.

Cf. etiam Petav. l. c. IV. §§. 5. 6.

(a) S. Aug. lib. De prædest. sanct. c. XV. n. 31. ubi inter cetera scribit: « Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus ».

Facundus Herm. lib. IX. c. V. ed. Sirmondi p. 144. ait: « Sacramentum adoptionis suscipere dignatus est Christus etc. » aliaque non pauca ib. in eundem sensum congessit.

(b) Cf. Petav. lib. VII. c. IV. §§. 5. 6.

(c) Germ. *De veteribus hæreticis ecclesiasticorum codicum corruptoribus* p. 478. et ante ipsum Vasquez in III. Par. s. Th. Disp. LXXXIX. cap. XV. contendunt tum ex auctoritate Hincmari, tum ex argumentis intrinsicis legendum esse *adoratur* potius quam *adoptatur*. Refragatur autem huic lecticæ Petav. l. c. §. 2. et hanc lectionem prætulit D. Constantinus nixus codicibus ante exortam prætulit D. Constantinus nixus codicibus ante exortam Felicis et Elipandi hæresim exaratis, in quibus legitur *adoptatur*, quæ vox idem sonat in sensu Hilarii ac *assumitur*, qui quidem sensus contextui et ejus scopo congruit. Sed cf. not. (a) ejusdem eruditi editoris p. 45. t. II. Veronæ 1750.

patre. Quod si Christus ut homo non habet Deum tanquam patrem naturalem, ejus certe filius naturalis esse non potest. 5. Quare in Christo fuit gratia habitualis, quae quidem efficit homines justos et filios Dei adoptivos, seu membra adoptiva ejusdem corporis quod est ecclesia; 6. necesse porro est ut membra adoptiva caput adoptivum habeant, quod est Christus homo. 5. In hac doctrina illud effugitur inconveniens quod in sententia opposita sequeretur, posse nempe unum eundemque hominem duos habere patres naturales, esset enim homo Christus naturalis filius David et naturalis Filius Dei. 6. Quod si denique nos possumus affirmare Christum hominem natum, passum, mortuum; 7. imo et servum possumus illum cum scripturis vocare, quare non etiam adoptivum, 8. cum aequae relativa sint nomina *servi* et *filii*? Ergo.

R. Ad 1. D. Si generatio et ejusdem substantiae communicatio unica ratio esset filiationis naturalis, Tr. si alia praeterea sit nempe unio hypostatica, prout exposuimus N. Transmissimus primum distinctionis membrum, quia non desunt, qui contendunt Christum etiam secundum naturam humanam generatione quoque esse Filium Dei naturalem; non quod humana ejus natura gignatur a Patre, sed quia una cum divinitate sempiterna quoque illi generatio communicatur quae propria Verbi est et quae a ceteris personis distinguitur. Cum vero Verbum cum sua proprietate personali et quatenus a Patre et Spiritu Sancto distinguitur assumpserit sibi per hypostaticam unionem humanam naturam, huic communicavit personalem hanc proprietatem generationis qua filius est. Quare Petavius affirmat de Christo homine vere dici posse Christum quia hic homo est, esse Filium Dei, et a Patre gigni, atque procedere (a).

Ad 2. D. Ita ut Christus qua Deus divinum Patrem habeat absque matre divina, contra vero qua homo habeat matrem humanam absque humano patre, C. ita ut non habeat Patrem divinum naturalem prout hic homo est, et matrem humanam naturalem prout hic Deus est N. Unus enim idemque est Christus, ut huiusmodi catechismi docent, Filius Dei et hominis ra-

(a) Lib. VII. c. V. §§. 5. 6. Juxta integra ejus verba afferre, quae haec affundunt his quae diximus: sic enim loquitur §. 6. « Cum autem persona divina Verbi, ut et alia quaelibet, non sit relativa sola proprietate: sed maxime, ac praecipue natura ipsa, quae relativa ista forma determinatur, ac modificatur: necesse est, ut humanitati Christi etiam divinitas communicetur: et quidem generatione, adeoque generatio ipsa. Est enim sempiterna et nunquam interrupta Verbi generatio. Sed non eodem modo, quo Verbum, per generationem formaliter, ut sic dicam, divinam illam naturam accepit, sed per unionem eum eodem Verbo, haec est eum natura ejus et proprietate personali, et ipsa quoque divina Verbi generatione. Nam et ista cum tota Verbi persona communicatur. Hinc de Christo homine usurpari potest: hic homo Deus est, et Dei Filius, ac Verbum, et a Patre procedit, ac gignitur. Quod postea munus dici non posset, nisi et generationis, uti proprietatum ceterarum, fieret communicatio. Haecenus summus theologus, qui deinde §. 7. et seqq. pergit refellere Vasquezium et Suarezium, qui hac exclusa naturali proprietate Filii Dei, quam Christus, ut est hic ho-

tionem ejusdem suppositi, ut toties declaravimus (a).

Ad 3. D. Quae tamen ex unione hypostatica proveniret, C. quae esset causa ipsius adoptionis N. Et sic refellitur quod opponebatur de effectu gratiae habitualis evadendi scilicet ad filios Dei adoptivos eos qui tali gratia praediti fuerint; ejusmodi certe est gratiae habitualis effectus quoad eos, qui adoptionis sunt capaces. Cum vero Christo jam Filio naturali Dei per hypostaticam unionem constituto gratia habitualis, logice saltem, supervenerit, ejusmodi adoptionis idoneum subjectum esse amplius non poterat (b).

Ad 4. D. Si quae sunt in membris, non adessent in capite *excellentiore modo*, sive ut aiunt *eminenter*, C. secus N. Alioquin cum nos redempti ac liberati simus a peccatis, Christus pariter caput nostrum redemptus ac liberatus a peccatis absurde dicendus esset.

Ad 5. vel N. vel D. Sub eodem respectu eademque ratione, C. sub diverso respectu ac diversa ratione N. Porro Christus pro diversitate naturarum Filius naturalis Dei est ac naturalis filius David, nempe generatione quoad naturam divinam, et unione hypostatica quoad naturam humanam respectu Dei, et e converso respectu David (c).

Ad 6. D. Ratione humanae naturae atque in humana natura, seu secundum carnem dicere possumus Christum natum et passum, C. alias N. Nasci enim, pati ac mori per se et primario spectant ad naturam, nec praedicantur de persona divina nisi indirecte et propter communionem idiomatum; mirum proinde non est, si Christus ratione humanae naturae dicatur passus et mortuus; at ratio Filii et proprietatis personae ipsam directe et primario efficiens, ac propterea Christo etiam ut homini in concreto ea tantum ratio Filii potest attribui, quae personae Verbi propria est. Atqui sola ratio filii naturalis est propria personae Verbi, minime vero ratio filii adoptivi, ergo ratio seu denominatio filii adoptivi tribui nequit Christo etiam ut homini subsistenti in eadem Verbi persona.

Ad 7. D. Latissimo sensu, spectato nempe debito humanae naturae in se ipsa, atque ratione voluntariae Christi subjectionis, Tr. vel C. rigoroso sensu et absolute N. Nam neque legali conditione Christus servus est, neque naturali dependentia quae in eo constitit, quod quaelibet creata natura, ob id ipsum, quod ex nihilo facta est, Deo tanquam supremo opifici ac Domino subicitur. Etsi enim humana Christi natura,

mo; vel in humana natura subsistens, habet, aliam quandam introducent ex gratia et sanctitate petitam.

(a) Eadem ratione explicandum est Apostoli testimonium Hebr. VII. 5 « Sine patre, sine matre, sine genealogia » quo abutitur Walchius. Apostolus enim Christum carere patre humano tantum significat, non autem divino; ibidem *Filium Dei* Christum appellans cum subdit: « Assimilatus autem (Melchisedech) Filio Dei, manet sacerdos in aeternum. »

(b) Cf. quae praecclare et accurate scribit de hoc argumento Petavius l. VII. c. IV. §. 6.

(c) Cf. Petav. ibid. §. 9.

utpote creata res, secundum se naturali subjecta esset servituti, attamen cum ipsa ne uno quidem momento sibi relicta fuerit, sed in Verbo semper subsisterit, omnem propterea servitutis rationem ita amisit, ut Domini potius quam servi natura sit appellanda prout Dominus, Deus ac Dei Filius Christus ut homo in N. F. constanter appellatur et in fidei nostrae symbolis (a). Ubi cumque igitur aut divini nonnulli scriptores aut patres de Christo loquentes formam servi commemorant, aut servum simpliciter appellant, facile intelligitur eos vel naturam Christi humanam in se ipsa seu secundum essentiam considerasse, quae debitum involvit naturalis servitutis, et naturam servi esse poterat; vel considerasse voluntariam Christi subjectionem et obedientiam, ejusque emanationem, humilemque statum, atque servilem mortem, quam pro nobis ipse volens suscepit atque sustinuit (b).

Ad 8. D. Sed diversa plane ratione, C. eadem ratione N. Etenim nomen servi potest congruere Christo duplici illo sensu nuper exposito, nempe vel ratione humanae naturae in se spectata, seu secundum essentiam prout mentis operatione concipitur distincta a persona Verbi atque in *actu primo*, ut loquuntur scholae; vel ratione voluntariae subjectionis. Contra vero nomen filii tale est relativum, ut non nisi personam efficiat, quae est terminus generationis, et filiationis subjectum. Ceterum in concreto Christo Deo homini neque adoptivi filii, neque servi appellatio, ullo modo competere potest, quia tam adoptio, quam status ille servilis cum filii proprietate ac naturali conditione pugnant, nec in eandem personam cadunt.

ARTICULUS III. — De distinctione duarum naturarum in Christo post unionem hypostaticam

Odio, ut praefertur, nestorianae haereseos cui extinguenda optinam navaverat operam, Eutyches presbyter et archimandrita constantinopolitanus in oppositum errorem dilapsus est. Occasionem nactus ex perperam intellecta Cyrilli sententia, de qua postea, docere coepit ex duabus naturis ante incarnationem post incarnationem in Christo unam esse effectam. Siquidem accitis ad synodum constantinopolitanam an. 448. a Flaviano praeside, et adactos ad mentem suam aperiendam circa accusationem in eum illatam ab Eusebio Dorylaci civitatis episcopo, in eam vocem erupit: « Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante unionem: post unionem vero unam naturam confiteor. » Cum adigi non potuerit ad stolidam et impiam ejusmodi haeresin ejurandam, sententia depositionis in eum lata est a

(a) Cf. Pet. ibid. c. VIII. et c. IX.

(b) Cf. Petav. ib. c. IX. §. 12. tum §. 17. ubi concludit: « Si proprio loqui volumus, neque Christus, neque homo subsistens in Deo; servus nominari debet: quoniam servi vocabulum ex usu, et proprietate nominis ad personam refertur, et ad actum velut secundum; quem in Christo removel, excluditque persona Verbi in creatae ac revera servae vicem, loquumque succedens. »

qua frustra ad Leonem M. Romanum Pontificem appellavit. Hic enim certior factus a Flaviano de tota rerum serie per acta synodalia ad ipsum transmissa, sententiam synodi ratam habuit et confirmavit. Attamen agente Dioscuro in latrocinio ephesino an. 449. absolutus est Eutyches, et damnatus Flavianus atque in exilium pulsus; verum hic a Dioscuro factionis coryphaeo adeo graviter percussus est eo quod ab iniqua sententia Romae appellasset, ut triduo post in insula Delo morte praeventus animam Deo reddiderit. Interea, Chalcedone an. 451. coacta oecumenica synodo, asserta est catholica fides, Eutyches iterum depositus est una eum Dioscuro episcopo alexandrino, qui paulo post in exilium, jubente Marciano Imperatore piissimo, deportati sunt (a).

Ex Eutyche confessione patet totius eutychieanae perfidiae caput et quidem praecipuum ac veluti *characteristicum* haeresis illius fuisse, quod unam tantum agnosceret in Christo naturam post unionem. Errores reliqui istius factionis primum illum vel supponunt, vel sequuntur ex. gr. duas ante unionem naturas Christi fuisse, quo Eutyches in nestorianismum quem oppugnabat stultorum errore relapsus est (b); tum Christi carnem ex Virgine minime esse sumptam, ac propterea Christum secundum carnem consubstantiali matris minime fuisse, nec B. Virginem esse *theotocon*, quo iterum in Nestorii impietatem quam detestabatur. Eutychem proruisse constat.

In praecipuo tamen illo quod diximus eutychieanae haereseos capite exponendo neque erroris architectus neque ejus asseclae consentiunt. Ex duabus enim naturis unam factam esse alii contendunt per quamdam utriusque naturae inter se *commixtionem*: alii per alterutrius consumptionem, et in alteram *mutationem*: alii per duarum naturarum extinctionem et in tertiam *conversionem*; alii demum per duarum naturarum in unam coalitionem seu *compositionem* id contigisse affirmant (c). Nec magis coherent eutychieani circa tempus quo haec natura unitas contigerit; siquidem nonnulli in ipso conceptu id accidisse autumant; nonnulli vero post resurrectionem factum istud prorogant, imo et post ascensionem protrahunt, dum ceræ instar ab igne naturam humanam a divina consumptam autumant. Nempe eadem semper haereticorum

(a) Eos qui de Eutyche ejusque sectatoribus scripserunt refert Fabricius Biblioth. graecae t. IX. p. 510. seqq. quibus adde eruditum P. Cacciarum Ord. Carmel. *De eutychieana haeresi et historia liber primus et secundus*, qui inveniuntur in op. quod inscripsit *Excursiones in universa s. Leonis M. opera* fol. Romae 1751. p. 310 seqq. Praecipue vero cf. Jo. Sim. Assemanum *Bibliotheca orientalis* tom. II. dissert. de Monophysitis.

(b) Quod insolens in haereticis non est, usque omnibus, qui semel a fidei ac veritatis tramite deflecterunt; sic nostra aetate in janseniana synodo pistoriensi diversae recensentur propositiones, quae tanquam pelagianae ac semipelagianae a Pio VI. Const. *Auctoritate fidei* proscriptae sunt, etsi jansenistae delictarent se ad pelagianismum ac semipelagianismum oppugnandum insurrexisse. Id ipsum jam contigerat Balo, ac postea Quesnello.

(c) Cf. Petav. lib. I. l. c. XIV.